

CAPVT II.

*De Lupo et Lato.*TAB. XXIII.
3. 4.Aldrovand.
de Piscibus
l. 4. c. 2.Aldrovand.
de Piscibus
l. 4. c. 2.Athen. Di-
gnos. l. 7.

Quem Latini a voracitate *Lupum* vocant, Lucill. Catillonem vocavit, is Graecis λάβραξ, aut παρὰ τὴν λαβράτητα, ut Athenaeus author est; ab ipsa vehementia: aut quasi λίαν βόρος, valde vorax, ut Eustathio placet, vel διὰ τὴν κέχνηεν αὐτῷ τὸ φόμα, καὶ ἀδρόως καὶ εὐχερῶς ἀλίσκεται, quod illi os hiet, et repente cumque impetu avide voret, ut Suidas vult, dicitur. Nec *Lucium* esse, quod Philephus voluit, quod hic in fluviis et lacubus degat; nec *Sturionem*, quod Volaterranus et Poggius Florentinus tradidere, quod hic squammis careat, nec carnivorus sit; nec *Lacciam* seu *Chieppam*, quod haec dentibus destituatur, certum est. Piscis est squammosus, squammae argenteae sunt, mediocres, et serratae, quaeque carni et inter se validissime cohaerent. *Rostrum* habet oblongiusculum. *Os* cum hiat valde patulum. *Linguam* oblongam, si Athenaeo ex Aristotele fides, osseam, et adhaerentem. De *dentibus* non conveniunt scriptores. Carere *Massarius*, et *Rondeletius*, quod ob oris magnitudinem facile praedam devoret, tradiderunt; tenues confuso ordine undecunque *Bellonius* posuit, plurimos, tenuissimos, multiplici ac vario ordine dispositos, pectinum instar, quibus lanarii utuntur, *Salvianus*. *Oculi* sunt magni. *Branchiae* utrimque quaternae. Harum operculum duobus ossibus constat, quorum superius postrema sui parte squammatim committitur. A summis branchiis per utrumque latus linea fere recta ad caudam ducitur. *Pinnas* Aristotele teste, binas habet parte prona, totidemque supina. Quae prona parte capiti proxima est, octo vel novem acutis et inaequalibus aculeis tenui membrana colligatis horret: altera unico tantum. Contra supina parte caudae vicina aculeos habet ternos. *Cauda* in unicam pinnam degenerat. In parvulo, ut diximus, nigrae apparent *maculae*, quae in paulo adultiore prorsus delitescunt, *Grandiusculus* enim argenteus est, dorso tamen paulo minus quam ventre

candido. Locus etiam *colorem* mutat, nam qui in mari capitur, ex caeruleo candicat, in ostiis fluviorum, totus albus est. *Carnem* habet secundum *Jovium* lacteam, secundum *Bellonium* rubescentem, seu is diversae speciei, sive *Oceanus* aliquid mutat. *Cor* triquetrum, ut Athenaeus ait: *ventriculum* amplum, et longum: appendices binas maxime conspicuas, *jecur* subflavum, in duos lobos divisum, quorum dextro fellis vesica committitur; *Lienem* rubrum et longum, *intestina* lata nec multis complicata anfractibus: *folliculum* plurimo aëre tumidum, spinæ dorsi validissime annexum. *Bellonius* e pusillo *magnum* ac cetaceum, *Salmonis* more evadere solere testatur, ut ex *Oceano* libras quindecim non nunquam pendere visus sit. *Salvianus* ad viginti libras, aliquando excrecere observavit. Quomodo *Columella* quosdam sine macula, varios alios faciat; et quid *Plinius* per suum *Lanatum*, intelligat, facile hinc colligi potest. Ita marinum esse piscem, ut et λιμνοθαλάσσιος, et ostia fluviorum non refugiat, *Galenus* praeter *Oppianum* author est. Sed et in dulcibus, *Letho* nempe *Lybiae* circa *Berenicem* fluvio nasci, *Athenaeus* memorat: nihil de *Columella*, qui *Velinum*, *Sabatinum*, *Vulfinensem*, et *Ciminum*, eosdem procreare innuere videtur, dicam: secus enim in sequenti sentire creditur capite. In dulci portu quem *Phanarium* vocant, longe majores vulgaribus reperias, apud *Miletum* quoque praegrandes et plurimos, ut apud *Aristophanis Scholiastem* et *Suidam* legimus. *Archestratus* apud *Athenaeum* θεοπαλδός vocavit. Solet et mediae cryptum penetrare saburrae. Qui in fluviis capitur, *Lanei* a *Martiale* nomen accepit, et expresse de iis *Plinius*. In *Lupis* in amne capti praeferuntur. In *Tyberi* amne inter duos pontes tanti pretii, ut *Philippus*, apud hospitem *Cassino* in oppido, autore *Columella* *Lupum* sibi in coena appositum gustabundus expuerit, dicens, *Per-*
eam

Columell. R.
R. l. 18. c. 17.Plin. H. N.
l. 9. c. 17.Galen. Alim.
lib. 3.Oppian.
Hal. l. 1.Columell. R.
R. l. 8. c. 16.Colum. R. R.
l. 8. c. 16.Varro R. R.
l. 3. c. 3.